



283

spiritus, quo volebat. Ego vero non festinabam, sed lento gradu processi versus ecclesiae medium, vadens in incertum, et cum ad XVII passus processissem, substiti, et suspensio vultu suspexi contra testudinem: et conieci oculos per superiores fenestras curiose, sicut faciunt indisciplinati, neminem timentes in alienis locis et domibus, et solus sic vaga facie stabam. Me sic inconsiderate stante accurrerunt duae mulieres peregrinae, quarum uua erat theutonica, Hyldegardis nomine, et provolutae ante pedes meos cum fletibus et singultibus jacebant, lapidemque, super quem stabam, deosculabantur. Miratus ego et stupefactus dixi mulieri theutonicae: quid habetis vos, domina Hyldegardis, ut quid facitis sic? Illa autem vix propter fletum loqui poterat, dixit mihi: ecce frater, lapis in quo statis, est ille, super quem Joseph et Nicodemus posuerunt pretiosissimum corpus Domini de cruce solutum, eumque unxerunt et involverunt super hanc lapideam tabulam. Hoc cum audivissem tremui: et retractis cum indignatione pedibus, in terram ante lapidem cecidi: et jam vix audebam ore contingere, quod prius non veritus fui calceatis pedibus irreverenter calcare. O, dixi, delicta praeterita juventutis meae et praesentis ignorantiae meae ne memineris Domine. O Domine Deus meus, Moyses electus famulus tuus a te jussus fuit in deserto Madian solvere calceamentum suum, quia terra, in qua stabat, sancta erat. Et sanctus Josue in agro Jerichorum non audebat calceatus stare, et ego expers omnis sanctitatis, plenus vitiis, calceatus pedibus nimis irreverenter locum, quem tu ipse nudo et vulnerato corpore pretiosissimo sanctificasti, ausus fui temerario pede terere; nec excusationem invenio: cum Osam ruiturum plaustrum arcae tuae tenentem percussum a te morte legamus. Et ecce incomparabiliter plus hic sub pedibus nostris, quam terra Madian, aut ager Jericho, et dignior lapis quam plaustrum aut arca. Ergo Domine Deus patientiam habe in me, et omnem reverentiam et honorem ad sancta loca tua et alia omnia debita reddam tibi, devotione mihi possibili, et quam tu ipse mihi contuleris. Oratione finita surrexi, et Dominos meos ac socios per ecclesiam quaesivi, eosque in capella b. Virginis simul sedentes et processionem exspectantes inveni. Porro pater Gardianus convocatis ad se omnibus

298

296

302

292

307

287

347

247

397

197

Ende

Anfang